

sumsit originem, à tertio Geneseos capitulo facientes exordium.

Finis prioris tractatus de Luce naturæ vitæq; longa

TRACTATUS ALTER
DE TENEBRIS CONTRA
NATURAM, ET VITA BREVI.

*Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.
& quæ sequuntur.*



RIORI tractatu de natura integra, & in vitâ longam restituta diximus, modo vero de corrupta post lapsum in vitam brevem degenerata nō nihil adferamus, & simul ea quæ ad eius instaurationem atq; medelam facere videbuntur. Naturæ siquidem per serpentem introducto morbo, lethaliq; inflicto vulnere quærendum est remedium. Quod quidem nos facere docet pius parens, & conditor misericors Deus ad Adamū jam jam moribundum inquiring. Adam ubi es? In eo verbo solo, cum mentis, tum corporis omnis medela sumsit originem. Mētis remedia ex verbo Dei pendēt, per meditativam philosophiā, ut supra, à quo petenda supernaturalia. Quæ vero ad medelam corporis idonea sunt, ex verbo simul & natura fuerint investiganda, nō ut modo corrupta, sed ut antea dictū est restituta ad similitudinem primitivæ & incorruptæ naturæ. Qua via tamen id fiat, ex præcedentibus colligere est. In primis dicendū quid sit morbus contra naturam in genere. Nihil aliud sane quam defectio balsami vitæ naturalis, ob sui fomētī defectum vel excessum. Balsamum vero vitæ, calidi naturalis cū suo radicali humido temperamentum esse dicimus. Mundi vitam enim antea dixim⁹ esse naturę lucem atq; cæleste sulphur, cuius subiectum est firmamentalis humor æthereus & calor, ut sol & luna. Haud secus in spagirica nobis considerandum, rerum omnium naturalium vitam esse lucem earum, in suo firmamento non impedita lucentē. Impeditur autem, ne libere clareq; luceat per tenebras suorum elementorū, dū violentia quadam, & præter naturam firmamentū penetrant rerū, & præsertim in humano corpore, ac sese luci permiscant in istius obfuscationem. Ex superiorib. didicimus, ordine divino cautum esse, ne in posterum luci naturæ, tenebræ permisceantur amplius, & in hoc interpositum esse firmamentū, quod